9

DE
FIDE ET OPERIBUS

THEOLOGICAM DISPUTATIONEM

JUXTA DOCTRINAM

SS. AUGUSTINI, ET THOMAE AQUINATIS

PVBLICE INSTITVIT

ALPHONSUS NOVELLI

EX CLERICIS REGULARIBUS SCHOLARUM PIARUM

IN COLLEGIO NAZARENO

SACRAE THEOLOGIAE AUDITOR.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE MDCCLXXIV.

EX TYPOGRAPHIA JOANNIS ZEMPEL

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google



DE FIDE, ET OPERIBUS.

I. Sine Fide, quam adverſus Novatorum errorem in Synodo Tridentina damnatum a fiducia diſtinguendam eſſe aſſerimus, impoſſibile eſt placere Deo.

II. Nullus proinde ſalvus eſſe poterit, qui non crediderit, ea utique fide, quae in vera Chriſti Eccleſia cuſtoditur.

III. In parvulis autem, qui baptizantur, fides actualis ſuppletur ab Eccleſia, quae de Sacramento viri ſui eos regenerat in adoptionem filiorum.

IV. Neque eis obeſt incredulitas eorum; qui eos Baptiſmo offerunt, quominus inter credentes deputentur; offeruntur enim non tam ab eis, quorum geſtantur manibus (quamquam & ab ipſis, ſi & ipſi boni fideles ſunt), quam ab univerſa ſocietate ſanctorum, atque fidelium, quibus utique placet, ut offerantur.

V. Quando autem S. Auguſtinus videtur aſſerere, infidelitatem offerentium Baptiſmo parvulos eiſdem obeſſe, ut infideles remaneant; explicari ſic debet, quemodo ipſe ſcribens ad Bonifacium exponit, quod S. Cyprianus ait, parvulos baptizatos Daemoniorum ſacrilegiis a parentibus obligatos amittere, quod in baptiſmo acceperunt: ut nimirum ſicut ipſi non in ſe ipſis, ſed quantum ad illorum ſcelus attinuit, hoc eſt in mente, & voluntate eorum, qui tantum ſcelus patrarunt, amiſerunt, quod acceperant; ita qui infideli mente offeruntur, quantum eſt in ipſis offerentibus, in incredulitate maneant, licet prout offeruntur ab Eccleſia in ipſa ſacramenti fidei ſuſceptione fideles evadant.

VI. Fides a nobis exigit officium & cordis, & linguae; corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Hic eſt proinde fidelis ſermo: Si quis Chriſtum negaverit coram hominibus, negabit & ipſum Chriſtus coram Patre ſuo.

VII. Fidelem hujuſmodi ſermonem tenuerunt Martyres, quos profecto exhonorat, imo vero aufert ſancta omnino martyria, ſive qui tenet, quod cum eis, qui nobis in ſocietate veritatis proximi non ſunt, loqui liceat, oporteatque mendacium; tanquam hoc ſatis ſit ad juſtitiam, etiamſi loquatur quiſque mendacium, quando non proximus, ſed alienus hoc audit, ut docebant Priſcillianiſtae; ſive qui cum Elceſaitis, quos ſecuti ſunt Libertini Angli, duce Georgio Davide Anabaptiſta, fidem in perſecutione negandam, & in corde ſervandam dogmatizant.

VIII, Ex horum principiis derivata eſt propoſitio aſſerens, peccaminoſum per ſe non eſſe, ſi quis a poteſtate publica interrogatus, fidem ingenue non confiteatur; & ideo ingenuam fidei confeſſionem tantum conſulendam eſſe ut Deo, & fidei glorioſam; merito proinde ab Innocentio XI. damnata. Compertum quippe eſt apud eos, qui Chriſtianae gratiae participatione redempti ſunt, pene idem eſſe, fidem nolle aſſerere, quod negare.

IX. Nec ſatis eſt involuta reſponſio confitenti Jeſum; ſed requiritur aperta confeſſio: nec prodeſt verba involvere, dum videri quis vult denegaſſe; nam qui Chriſtum, & ſermones ejus erubuerit, eum Filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua.

X. Nunquam proinde fas eſt, uſurpatione rituum, ciborum, veſtium, nominumque gentium Idololatrarum, ubi ſit ſuperſtitioſi cultus indicium, religionem callide ſimulare; nec enim debent oves luporum pellibus, hoc eſt ſignis ſuperſtitionis proteſtativis, ſe contegere, ut tute inter lupos deliteſcant.

XI. Idque etiamſi infidelium vel haereticorum latebras penetrent ad eos veſtigandos, ut capti atque in apertum producti aut ipſi etiam veritatem doceantur, aut certe veritate convicti nocere aliis non permittantur: non enim ſunt facienda mala, ut veniant bona; & quomodo non ſunt perſequenda latrocinia latrociniis, ſacrilegia ſacrilegiis &c., ita nec mentiendum eſt, ut mendaces ad veritatem adducantur.

XII. Fuit igitur aequiſſimum, & eliminandis ſuperſtitionibns aptiſſimum tum Edictum Rm̄i Caroli Maigrot, tum Decretum Em̄i Caroli Thomae de Tournon confirmatum a Clemente XI.; & a Benedicto XIII.

XIII. Putidiſſima autem calumnia eſt, quam Benedicto XIV., ac S. R. E. Cardinalibus affingere non eſt veritus Anonymus dubiorum architectus, ſapientiſſimum nempe Pontificem, ampliſſimis Cardinalibus in eamdem ſententiam conſpirantibus, in celeberrima Encyclica = Ex omnibus Chriſtiani orbis = data anno 1756. die 16. Octobris ad Clerum Gallicanum, docuiſſe, quod liceat fidei praeconibus inter haereticos, aut infideles verſantibus, articulos fidei a Romana Eccleſia declaratos, & formulas ab ipſa in explicatione myſteriorum fidei uſurpatas oeconomiae cauſſa occultare.

XIV. Ex quo tamen non liceat fidem ſimulare, ſed exigat haec apertam confeſſionem, minime eſt conſequens, non licere Chriſtianis, ac praeſertim Epiſcopis, perſecutionem fugiendo, aut latitando declinare. Licet plane. Nam & Joſeph, cum puero Jeſu, & Matre ejus, juſſus eſt fugere in Ægyptum, & ipſe Jeſus fuga ſe ſubtraxit a perſequentibus Judaeis, ſuiſque diſcipulis injunxit, ut cum perſequerentur eos in una civitate, fugerent in aliam; quod manifeſtum eſt ipſos praeſtitiſſe.

XV. Si tamen fidei cauſſa, & Chriſtianae plebis periculum aliter ſuadeat; velut, ſi fugientibus Epiſcopis, neceſſario miniſterio, ſine quo vivere nequeunt, deſerantur oves; non licebit Paſtoribus perſecutionem fugiendo declinare. Mercenarii quippe eſt, viſo lupo veniente, fugere; Paſtoris autem eſt, animam ſuam dare pro ovibus ſuis; quoniam Chriſtus Paſtor bonus animam ſuam pro nobis poſuit.

XVI. Amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti; aut fidem, quae remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva; aut eum, qui fidem ſine carita-

Digitized by Google

caritate habet, non eſſe Chriſtianum, error eſt per ſacroſanctam Synodum Tridentinam juſtiſſime damnatus.

XVII. Jure pariter damnavit Alexander VIII. aſſerentes fidem in magnis peccatoribus humanam eſſe, non divinam.

XVIII. Si autem quis peccat peccato infidelitatis, fidem utique amittit.

XIX. Hoc peccato peccaſſe Apoſtolos in morte Chriſti, opinio eſt, quae in vulgus late ſerpit; perſuaſum quippe habent plerique, candelas, quae in majori hebdomada extinguuntur, ſignificare extinctam fuiſſe fidem Apoſtolorum in morte Chriſti, & ſolum remanſiſſe in B. Virgine, idque exprimi per illam unicam candelam, quae remanet accenſa; quam opinionem a Theologis explodi obſervat peritiſſimus Sacrorum Rituum Gavantus.

XX. Nos itaque cum Ruperto Abbate arbitramur, extinctionem candelarum ſignificare mortem Prophetarum, qui, ut candelae extinguuntur poſt ſingulos Pſalmos, occiſi ſunt expleto prophetiae ſuae miniſterio: candelam vero ceteris ſubliminiorem ſignificare ipſum Dominum tamquam unum ex Prophetis occiſum, & poſtea redivivum a mortuis.

XXI. In Apoſtolis autem, ac Diſcipulis non aliam incredulitatem Chriſtum redarguiſſe aſſerimus, quam quod mulieribus, aliiſque de ejuſdem Chriſti reſurrectione teſtantibus credere noluerint: quae incredulitas ſupernaturalis fidei habitum minime extinguit; non enim amittitur fides ab eo, qui ad credendum myſterium aliquod nondum ſibi exploratum, ex teſtimonio privati hominis non adducitur, ſi habeat paratum animum credendi aut Eccleſiae proponenti, aut Domino revelanti.

XXII. In haereticis, qui aliquos fidei articulos credunt, alios rejiciunt, motivum credendi non eſt revelatio divina, ut propoſita per infallibile Eccleſiae magiſterium, ſed ut propoſita ex perſuaſione privati ſpiritus; & ideo non eſt in iis habitus fidei ſupernaturalis.

XXIII. Spectato autem objecto, fides etiam haereticorum ſupernaturalis dicenda eſt; niſi enim Deus revelaſſet myſteria, numquam ad eorum notitiam perveniſſent.

XXIV. Ipſeque actus, quo credunt hoc, aut illud, eſſe divinitus revelatum, quia ſcilicet in ſcripturis ſanctis contineatur expreſſum, bonus eſt, & donum Dei; etiamſi bonum non bene faciant, quia non propter hoc credunt divinitus revelatum, propter quod credere debent, ideſt propter infallibilem Eccleſiae auctoritatem, ſed propria voluntate, ac judicio.

XXV. Nimirum fides non aſſentit alicui, niſi quia eſt a Deo revelatum; unde ipſi veritati Divinae innititur tamquam fundamento; revelationi autem tamquam medio.

XXVI. Ut autem innoteſcat, quid ſit revelatum, vel non, opus eſt, ut id proponat Eccleſia, cui revelationis depoſitum concreditum eſt.

XXVII. Eſt igitur verbum Dei certiſſima regula continens omnes veritates, tam fidem, quam doctrinam morum ſpectantes.

XXVIII. Ipſum autem Dei verbum aliud eſt ſcriptum, aliud traditum, ideſt ſine ſcripto viva voce a Patribus ad Nepotes tranſmiſſum.

XXIX. Non ſolum ante legem ſcriptam fuerunt divinae Traditiones, ad quarum normam pii, & timentes Deum religionem ſuam, ſuoſque mores exigerent: nec

Digitized by Google

nec ſolùm etiam poſt legem ſcriptam plura mandavit Deus nota facere filiis ſuis, ut cognoſceret generatio altera, quod praeceptum & religioſiſſime cuſtoditum teſtatur Propheta, & cuſtodiendum vaticinatur; ſed & in nova lege ab ejus exordio uſque ad conſcriptos Evangelii libros, Traditiones in Eccleſia fuiſſe nemini dubium eſſe poteſt.

XXX. In ipſis autem Evangeliorum libris non omnia ſcripta ſunt, quae fecit Jeſus, nec ab alio ſacro ſcriptore referuntur, quae Dominus poſt paſſionem ſuam per dies quadraginta apparens Diſcipulis ſuis locutus eſt eis de regno Dei; de Eccleſia ſcilicet recte inſtituenda.

XXXI. Haec autem dubium eſſe non poteſt, quin Apoſtoli annunciaverint praeſertim iis, quos ordinaverunt Epiſcopos ad regendam Eccleſiam Dei; cum unum ex iis monuerit Apoſtolus Paulus, ut depoſitum cuſtodiret, quod ipſi ſive per epiſtolam, ſive per ſermonem fuerat concreditum.

XXXII. Hujuſmodi porro Traditiones parem habent cum ſcriptura auctoritatem, cum ſint aeque ac ſcriptura verbum Dei. Et ideo Theſſalonicenſes monebat Apoſtolus, ut tenerent Traditiones, quas ab ipſo didicerant, ſive per epiſtolam, ſive per ſermonem.

XXXIII. Fruſtra itaque Novatores, cum de ſacrarum Traditionum exiſtentia conſtet, de earumdem utilitate, & neceſſitate litem movent.

XXXIV. Ceterum facillime eandem agnoſcere poſſent, ſi vellent. Non enim omnia in ſacris litteris ſcripta ſunt, ut ex. gr. dogma de perpetua Deiparae Virginitate.

XXXV. Sed & in ipſis ſcripturis quaedam occurrunt obſcura, & ambigua: neceſſaria proinde, nedum utilis, eſt Traditio, ut per eam innoteſcat, quo ſenſu illa ſcripturarum loca intellexerit Eccleſia.

XXXVI. Imo non aliunde, quam ex Traditione, germanae ſcripturae a ſpuriis; divinae ab humanis, ſincerae ab interpolatis poſſunt diſcerni.

XXXVII. Sublata proinde Traditione nihil omnino in Religione certitudinis eſse poteſt; nec quidquam praeter conjecturas, & incertas opiniones haberemus.

XXXVIII. Impium eſt igitur originem, continuamque Divinae Traditionis ſucceſſionem incertam, vel obſcuram reddere.

XXXIX. Obſcura porro, & incerta redditur Traditionis origo, ſi aſſeratur cum nuperis interpretibus Harduino; & Berruyerio, excepto dogmate, quod Jeſus Chriſtus eſset Meſſias in lege promiſſus, cetera alia privatae inſtitutioni Apoſtolorum fuiſſe a Divino Magiſtro reſervata; ab Apoſtolis autem in privata ſchola paucis quibuſdam fidelium fuiſſe tradita, ceteris occultata.

XL. Hoc humanae mentis commentum ſcripturis novi teſtamenti aperte repugnat; quibus docemur, Chriſtum Dominum palam locutum eſſe in ſynagogâ, & in templo, quò omnes conveniebant Judaei; illaque ipſa, quae ſolis aliquando Apoſtolis locutus eſt, voluiſſe, ut uſquequaque praedicarentur, nec in aure paucorum, ſed ſuper tecta.

XLI. Apoſtoli autem praeceptum hoc exactiſſime impleverunt, partim ſcripto illa etiam tradentes, quae eis Chriſtus ſeorſim a turbis manifeſtaverat; partim viva voce, annunciantes publice, & per domos, Judaeis, & Gentilibus, nihil cuiquam ſubtrahentes utilium ad ſalutem.

XLII. Quin etiam illa eadem, quae ſpectabant Eccleſiae regimen, ſic tradide-

Digitized by Google

derunt Epiſcopis a ſe ordinatis, ut non in occulto tradiderint, ſed per multos teſtes; iiſdemque injunxerunt, ut eadem commendarent fidelibus hominibus, qui idonei eſſent & alios docere.

XLIII. Redditur autem obſcura, & incerta ſucceſſio Traditionis, ſi cum iiſdem nuperis interpretibus aſſeratur, quod olim aſſeruit Dallaeus, vera, certaque non eſſe Patrum quaecumque nunc eorum nomine circumferuntur opera; ſed pleraque iis aſſicta partim haereticorum fraude, partim ingeniorum ſtulte ambitioſorum malis artibus; alia vero ſive dolo haereticorum, ſive librariorum vel audacia, vel inſcitia, vel oſcitantia, foede interpolata, & corrupta.

XLIV. Tollitur praeterea omnis Traditionis uſus, ſi approbetur nova illa Pyroniſmi ſpecies a nupero ſcriptore poſt Dallaeum invecta; ex illis ſcilicet ſcriptis, quae veterum Patrum nomen praeſeferunt, etiamſi genuina eſſent, nos minime poſſe eorumdem mentem, & ſenſum aſſequi, ob nimiam ab hac noſtra tempeſtate diſtantiam; quia ſcribebant illi appoſite ad circumſtantias temporum, perſonarum, &c., quae omnes nunc mutatae ſunt: tum etiam propter idiotiſmos, quibus utuntur; & propter rerum explicandarum variis Rhetoricae, & Dialecticae artificiis obſcuratam, & impeditam rationem; propter pleraſque voces alio, quam qui nunc in uſu eſt, ſenſu uſurpatas; propter affectatam obſcuritatem; ne ad Gentilium notitiam ſacra Fidei myſteria devenirent.

XLV. Denique tollitur prorſus Traditio, ſi cum nuperis illis interpretibus aſſeratur (quod nec Dallaeo, aut Riveto venit in mentem), ex Latinis exemplaribus novi teſtamenti facta deinde fuiſſe ab hominibus privatis Latinae Eccleſiae invidentibus Graeca, quae legimus, corruptaque antequam Eccleſiaſtici Doctores Graeci aliquid ſcripto exararent; atque addatur cum anonymo alio unius illorum interpretum apologiſta, hujuſmodi depravationem Graecorum codicum novi teſtamenti contigiſſe poſt Schiſma Photianum, adeoque non prius, quam ſaeculo IX. exeunte.

XLVI. Hinc nimirum ſequitur ex hujuſmodi iſtorum opinione, ſuppoſititia eſſe ſcripta, quae habemus ſub nomine Patrum Graecorum octo priorum ſaeculorum: ſuppoſititia item quae legimus ſub nomine Patrum Latinorum, in quibus illorum Graecorum ſcripta commemorantur: ſuppoſititia acta priorum octo Conciliorum Generalium; omnium item Hiſtoricorum veterum monumenta; quia ſcilicet & apud illa Concilia, & apud illos Hiſtoricos mentio habetur operum a SS. Eccleſiae Patribus octo illorum ſaeculorum decurſu editorum.

XLVII. Nos haec hominum commenta in perniciem Religionis excogitata ex regulis criticae omnium conſenſu probatis explodimus: atque oſtendimus, poſſe ope earumdem regularum, ſi non omnia, pleraque ſaltem germana veterum Patrum opera a ſpuriis, ſincera a corruptis ſecerni; id quod in pluribus feliciter perfectum eſt.

XLVIII. Oſtendimus deinde, in pluribus certos non eſſe poſſe de genuino ſenſu SS. Patrum veterum, ac ſuppetere tutiſſimas regulas, quarum ope ambigua, & obſcura loca declarentur.

XLIX. In Scriptura itaque ac Traditione, hoc eſt in Verbo Dei, omnis continetur revelatio pertinens ad fidei morumque doctrinam.

L. Itaque ex Verbo Dei ſive ſcripto, ſive tradito Eccleſia firmiſſime ſua dogmata ſtatuit, errores condemnat, controverſias definit, quod tenendum eſt manifeſtat, quin nova revelatione opus ei ſit.

LI.

Digitized by Google

LI. In iis autem ſtatuendis, definiendiſque Eccleſia dirigitur ſpeciali Spiritus Sancti, ſuique Divini Sponſi Chriſti auxilio, providentiſſimaque aſſiſtentia.

LII. Hanc Chriſti ſpecialem aſſiſtentiam Eccleſiae ſuae, ne erret, deducimus potiſſimum ex illis ejuſdem Chriſti verbis, = Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſaeculi = .

LIII. Refellimus nimirum nuperi interpretis expoſitionem illorum verborum Chriſti, quod ſcilicet id unum promiſerit, auxiliatorem ſe, & fautorem Diſcipulorum ſuorum adverſus Judaeos, donec viderent ſynagogam prorſus deletam; ſubrogatamque ei Eccleſiam Gentium.

LIV. In illis ſcilicet, quibus loquebatur Chriſtus, nos etiam ſignificavit, cum iſta diceret; per ſaeculi conſummationem finem deſignans, non quo conſumeretur Jeruſalem terrena, ſed quo conſummabitur, hoc eſt perficietur in caelis, Eccleſia, quae nunc per fidem militat in terris.

LV. Promiſſionem igitur continere arbitramur verba illa ſuperni auxilii a Chriſto praeſtandi Eccleſiae ſuae, quam ſibi deſponſavit in fide uſque in ſempiternum, ideſt uſque ad verum mundi finem, quem in teſtimonio, de quo agimus, deſignat, non ſecus ac alibi, conſummatio ſaeculi; ne ſcilicet adverſus eam praevaleant portae inferi.

LVI. Atque hoc quidem inerrantiae donum Eccleſiae competit in primis prout eſt ipſa diffuſa per totum mundum, & per communem ſuorum Paſtorum conſenſum aliquid docet.

LVII. Competit rurſus donum hoc Eccleſiae adunatae in oecumenicis Conciliis, quae ſunt ejuſdem univerſalis Eccleſiae repraeſentatio per ſuos Paſtores in unum congregatos in nomine Chriſti, ut pro demandato ſibi a Spiritu Sancto miniſterio paſcendi gregem, & regendi Eccleſiam Dei, definitivo judicio videant quid in fide tenendum ſit, & in moribus obſervandum.

LVIII. Competit denique donum, de quo agimus, Eccleſiae ſpectatae in ſuo viſibili capite Jeſu Chriſti Vicario, & S. Petri Succeſſore Romano Pontifice, in quem omnia privilegia a Chriſto collata Petro, quando ei agnos, & agnos, & oves etiam, hoc eſt fideles, & fidelium Paſtores commiſit, ut paſceret, promiſſa autem per claves regni caelorum, jure haereditario primogeniturae tranſeunt. Qui proinde juxta id, quod Petro rogavit Patrem Chriſtus, non poteſt in fide, hoc eſt in doctrina credendorum & morum, deficere, cum tamquam Doctor univerſalis aliquid credendum toti Eccleſiae proponit confirmans fratres in fide.

LIX. Omnes itaque veritates fidei, morumque doctrinam ſpectantes a Chriſto Domino vel per ſe ipſum, vel per Spiritum Sanctum Apoſtolis immediate traditae ſunt, & ab Apoſtolis integre ad nos uſque pervenerunt.

LX. Ac proinde in ſacro revelationis depoſito Catholicae Eccleſiae divinitus concredito non ſolum ea dogmata continentur, quae Eccleſia ipſa ſemper expreſſe docuit, & illa, de quibus occaſione graſſantium haereſum definitivum protulit judicium: ſed & quaevis demum nunc ſint ſententiae, quae in ipſo Eccleſiae ſinu libere in utramque partem agitantur, de quibus ab Eccleſia, quando opportunum judicabit, definitivum ſit proferendum judicium: ſicut olim erant doctrinae de non rebaptizandis baptizatos ab haereticis, de gratiae ad ipſum fidei initium neceſſitate &c., antequam definirentur.

LXI. Hujuſmodi veritatum definiendarum traditio obſcurari poteſt, deficere in

Digitized by Google

in Eccleſia non poteſt ; ſed ſemper apud aliquos Epiſcopos , Theologos , & doctos fideles veritates illae permanebunt : ſicut apud plures tempore Millenariorum , Rebaptizantium , Semipelagianorum &c. permanſerunt catholicae veritates , antequam definirentur .

LXII. Numquam propterea interrumpi poterit perennis illa Traditionis ſucceſſio , quae definitioni Eccleſiae viam praeparat , ipſamque definitionem praecedit , ut ſcite advertit Cl. Boſſuetius .

LXIII. In iis itaque , quae in verbo Dei ſcripto , vel tradito clare , & expreſſe , ac ſine ulla ambiguitate continentur , velut Chriſti Nativitas , Paſſio , Mors , Reſurrectio &c., immediata regula credendi eſt ipſum Dei verbum ſive ſcriptum , ſive traditum .

LXIV. Neque tamen nihil facit auctoritas Eccleſiae . Nam quod ea , quibus hujuſmodi dogmata traduntur , ſint verbum Dei , credimus propter auctoritatem Eccleſiae . Neque enim , ajebat egregie ad rem hanc S. Auguſtinus , Evangelio crederem , niſi catholicae Eccleſiae me commoveret auctoritas .

LXV. In aliis vero , quae in verbo Dei ſcripto non continentur clare , & expreſſe , ac ſine ulla ambiguitate , velut quod Spiritus Sanctus procedat etiam a Filio , quod pium ſit imagines Chriſti , Deiparae , & Sanctorum venerari , quod extet Purgatorium,quod quinque famoſae propoſitiones damnatae ab InnocentioX. ſint haereticae &c. ,in his , inquam , & ſimilibus proxima , & immediata regula credendi eſt oraculum Eccleſiae .

LXVI. Quoniam vero Eccleſia non condit nova dogmata , ſed tantum determinat , & proponit , quaenam dogmata in Divina revelatione habeantur , ſemper ex verbo Dei certiſſime deducens quidquid definit : hinc eſt , quod ipſa quidem Eccleſia eſt ultima fidei regula , per quam revelatio Divina cognoſcitur ; aſſenſus tamen fidei non in ipſam Eccleſiam , ſed in veritatem primam , quae Deus eſt , reſolvitur tamquam in fundamentum ; tamquam autem in medium in Divinam revelationem , quae in ſacris litteris , & traditionibus continetur .

LXVII. Quo loco deteſtamur novatorum inſaniam , qui ne agnoſcant Eccleſiam eſſe legitimum judicem controverſiarum fidei , & morum, utque traditionum neceſſitatem , atque utilitatem in interpretatione ſcripturarum rejiciant , contendunt, in ſcriptura omnia eſſe plana , & obvia , aut ſiquae talia non ſunt , poſſe facillime , ex aliis locis intelligi .

LXVIII. Nos itaque commoniti Divino praecepto , quo in veteri lege ſi difficile , atque ambiguum apud quempiam fuiſſet judicium de lege , de mandato , de ceremoniis , de juſtificationibus , non ad ſcriptos codices mittebatur , ſed ad Sacerdotem , & ad judicem venire jubebatur : quo item in nova lege declaratur habendus ut ethnicus , & publicanus , qui Eccleſiam non audierit : commoniti item exemplo Pauli , & Barnabae , qui exortam de circumciſione controverſiam detulerunt ad Apoſtolos , ipſiuſque Pauli , qui Evangelium , quod per revelationem acceperat , Eccleſiae judicio probandum ſubmiſit ; ad Eccleſiam pertinere defendimus definitive judicare , qui ſint libri in ſanctarum ſcripturarum canonem habendi , & qui praeterea ipſarum ſcripturarum legitimus ſenſus .

LXIX. Privatis proinde fidelibus licet quidem ſcripturas ſcrutari judicio diſcuſſionis , ſed definitivum judicium eſt reſervatum Eccleſiae .

LXX. Aſſerimus deinde contra eoſdem novatores , quod non ſolum quoad

B ſcri-

Digitized by Google

ſcripturas veteris teſtamenti difficile, & ambiguum eſſe poterat judicium de illarum ſenſu; ſed etiam in libris teſtamenti novi ſunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti depravant, ut de Epiſtolis Pauli teſtatur Apoſtolus Petrus.

LXXI. Nimirum divini illi ſermones in quibuſdam quidem ſunt lumen, & lucerna, ſaltem intelligere volentibus; at in pluribus aliis locis non tam ipſi, quam illorum declaratio illuminat; quomodo contigit duobus diſcipulis proficiſcentibus Emmaus, quibus Chriſtus interpretatus eſt, quae de ipſo erant; & Eunucho Candacis Reginae, cui Apoſtolus Philippus declaravit Iſaiae vaticinium de Chriſto.

LXXII. Neque id mirum videretur novatoribus, ſiquidem vellent intelligere. Rationi enim omnino congruit, ut quoniam non voluntate humana allata eſt prophetia, & ſcriptura univerſa, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines; ita ejus interpretatio proprio hominis ſenſu non fiat; ſed de planioribus aliis ejuſdem ſcripturae locis, & Eccleſiae auctoritate.

LXXIII. Nihil autem abſurdius dici poteſt, quam quod fabulantur novatores, dum ea ſcripturarum loca, in quibus gratia novi teſtamenti ſub doctrinae nomine deſignatur, detorquent ad ſenſum prorſus alienum, ut perſuadeant, privatum cujuslibet fidelis ſpiritum eſſe legitimum judicem ſenſus ſcripturarum.

LXXIV. Quinimo impium eſt prorſus vel cogitare, quod idem ſpiritus Chriſti & in Ario fuerit, & in Sabellio, in Neſtorio item, & Apollinario, & Eutichete; ac per eos tam contraria invicem, & pugnantia fuerit locutus.

LXXV. Neque vero non agnoſcimus donum interpretationis ſermonum, quod Eccleſiae nunquam deerit, privatis etiam hominibus quandoque fuiſſe conceſſum. Sed contendimus, quod, cum donum hoc aliquibus detur, omnibus non detur, penes Eccleſiam, quae aedificationem inde accipit, debeat eſſe judicium, cui donum hoc fuerit collatum.

LXXVI. Atque hinc inferimus contra nuperum ſcriptorem, quod cum Eccleſia in Concilio Tridentino congregata vetuerit, ne quis ſcripturam interpretetur in rebus fidei, & morum contra unanimem ſenſum Patrum, quem utique ſemper probavit eadem Eccleſia; Patres ipſi, cum in interpretando aliquo ſcripturae loco inveniuntur unanimes, non ſolum debeant admitti, ut teſtes traditionis; ſed, quod ille negat, ut ii, quibus donum interpretationis ſermonum divinorum fuerit collatum. Talibus ſcilicet, poſt Apoſtolos, ſancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, paſtoribus, nutritoribus crevit.

LXXVII. Quin & ubicumque alicujus eorum expoſitio ab Eccleſia probetur tamquam genuina, & doctrinae fidei, ac morum ſtabiliendae, vel declarandae idonea, non dubium habemus, quin ille donum, de quo agimus, ad Eccleſiae aedificationem acceperit.

LXXVIII. Atque hoc donum primis illis temporibus erat ſane maxime opportunum: ut ſicut emerſerant, atque in dies erupturi erant ſeductores, qui Dei verbum depravare niterentur ad ſuam, & aliorum perniciem; ita non deeſſent, qui juxta catholicae fidei regulam exponendo ſcripturas, non illorum tantum haereticorum, ſed & eorum, qui futuri adhuc erant, aut etiam nunc ſunt, perfidiam confunderent.

LXXIX. Quemadmodum autem ad Eccleſiam pertinet judicare tum de canone, tum de ſenſu ſcripturarum, ita ad eandem pertinet judicare de traditionibus an divinae ſint, an humanae; & ubi aliqua eſt in earum intelligentia ambiguitas,

Digitized by Google

guitas, aut difficultas, de genuino earum ſenſu judicium definitivum proferre.

LXXX. Hanc auctoritatem ſibi a Chriſto tributam ſemper exercuit Eccleſia, ſive ut diffuſa toto orbe per conſenſum ſuorum Paſtorum; ſive in aliquo adunata oecumenico Concilio; ſive, idque frequentius, per ſuum viſibile caput Romanum Pontificem; ut praeſertim contigit in cauſſa Pelagianorum, de qua rectiſſime S. Auguſtinus poſt litteras Innocentii I. ad Synodos Carthaginenſem, & Milevitanam, ſcripſit, = De hac cauſſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: inde etiam reſcripta venerunt: cauſſa finita eſt = .

LXXXI. Optime autem monet Cl. Melchior Canus, attendendum eſſe, & quae natura ſit rerum, de quibus in eccleſiaſticis decretis agitur, & quae verborum, quae in decretis iiſdem uſurpantur, proprietas, quod pondus.

LXXXII. Nimirum Eccleſiaſticae doctrinae non idem ſemper eſt gradus; nec omnia judiciorum decreta eodem loco habenda ſunt; multa quippe ad ſanam Eccleſiae diſciplinam pertinent, non autem ſunt fidei decreta.

LXXXIII. Fidei decreta erunt, ſi contrarium aſſerentes pro haereticis judicentur; vel ſi qui hoc illudve ſenſerint, aut contrariam ei, quae tenenda praecipitur, ſententiam tenuerint, anathemati ſubjiciantur; vel ſi quidquam expreſſe, & proprie a fidelibus firmiter credendum, aut tamquam dogma fidei catholicae recipiendum dicatur, ſeu aliis ſimilibus verbis certo, & firmo decreto aſſeratur, aliquid eſſe doctrinae in verbo Dei ſcripto, vel tradito ſeu conſonum & recipiendum, ſeu contrarium & abjiciendum.

LXXXIV. Nempe, ut obſervat Jacobus Cardinalis Novellus Tit. S. Priſcae, qui Joanni XXII. ſucceſſit in Pontificatu ſub nomine Benedicti XII., relatus a Cl. Eimerico, & ab Emo Orſi, ad fidei decretum requiritur, ut Eccleſia expreſſe determinet, quod tale quid ſit tenendum tamquam pertinens ad fidei articulum, determinans, quod dicentes, & tenentes contrarium haeretici habendi ſint: ſive, ut compendio dicamus, requiritur ut Eccleſia clare, determinate, diſtincteque declaret, quid in ſubjecta materia ferat Divina revelatio, vel quid ſit ei conſentaneum.

LXXXV. Non ſufficit ad ſalutem fides in Deum, ut unus eſt, creator, remunerator; nemini quippe ſine fide in Mediatorem unquam obtigit juſtificatio.

LXXXVI. Non ergo ſpiritus fidei in Deum cognitum praeciſe ut unum, & ut remuneratorem, erat ſpiritus adoptionis in lege naturali, communis uſque ad Evangelii promulgationem omnibus gentibus, & qui ipſos quoque Iſraelitas efficeret filios Dei, ut commenti ſunt Harduinus, & Berruyerius.

LXXXVII. Ab initio itaque lapſi hominis prophetari non deſtitit Chriſtus, atque ex ejus fide vixerunt veteres juſti.

LXXXVIII. Nec ſolum incarnationem crediderunt, ſed etiam Chriſti paſſionem, & reſurrectionem, quibus a peccato liberamur; quae etiam quibuſdam ſacrificiis & ante legem, & ſub lege praefigurarunt.

LXXXIX. Sed illorum ſacrificiorum ſignificatum explicite majores cognoſcebant; minores vero ſub velamine illorum ſacrificiorum credentes ea divinitus eſſe diſpoſita de Chriſto venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem.

XC. Hinc refelluntur nuperi iidem interpretes Harduinus, & Berruyerius negantes, gratiam, quae ante adventum Chriſti juſtificabat, effeciſſe eoſdem membra, fratres, & coheredes Chriſti.

Digitized by Google

XCI. Refelluntur rurſus iidem in eo quod docent, Religionem, qua Deus per Chriſtum, & in Chriſto, qui venit, nunc colitur, ab ea, qua colebatur Deus ante adventum Chriſti, ejuſque intuitu acceptabatur, eſſentia ſua tota eſſe diſtinctam.

XCII. Myſterium autem Incarnationis explicite credere, eſt credere, quod Filius Dei carnem aſſumpſerit conceptus de Spiritu Sancto, ut per ejus gratiam mundum innovaret; ut recte obſervat Angelicus.

XCIII. Nequit ergo explicite credi Incarnationis myſterium ſine fide Trinitatis: & ideo eodem modo, quo myſterium Incarnationis Chriſti ante Chriſtum fuit creditum explicite quidem a majoribus, implicite autem, & quaſi obumbrate a minoribus; ita etiam myſterium Trinitatis; ut ait idem Angelicus.

XCIV. Et revera in libris veteris teſtamenti tres Divinae Perſonae adumbratae inveniuntur, & earum nunc una, nunc altera vel commemorata legitur, vel deſignata.

XCV. Falſum eſt igitur, pluralitatem perſonarum in divinis ante Chriſtum nulli patefactam, ut nuperi illi arbitrantur.

XCVI. Imo tam vulgare erat apud Judaeos, Chriſtum futurum Dei Filium; ut eum non alio magis nomine appellarent. Unde & Caiphas Jeſum adjuravit, num eſſet Filius Dei: neque ipſi Jeſu unquam objecerunt, quod Chriſtum Dei Filium, ſed quod ſe Chriſtum, adeoque Dei Filium faceret.

XCVII. Ubi autem advenit Chriſtus, & coepit docere, id egit in ſingulis fere ſermonibus, ut crederetur Filius Dei diſtinctus a Patre non natura, ſed perſona.

XCVIII. Neque tacuit de Spiritu Sancto, ſed aperte de eodem locutus eſt Chriſtus etiam ante ſuam paſſionem.

XCIX. Uſque adeo falſum eſt, quod nuperi illi docent neque Apoſtolis fuiſſe explicatum a Chriſto myſterium Trinitatis, niſi poſt ſuam reſurrectionem.

C. Nec minus eſt falſum, quod iidem addunt, fidem explicitam Trinitatis non fuiſſe ſtatim imperatam una cum promulgatione Evangelii, ſed poſt multum temporis.

CI. Quod ſi quis putaverit, Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti; idque ideo ne panderent myſterium Trinitatis, omiſſo interim, quod baptizare in nomine Chriſti non ſit aliud, quam baptizare baptiſmo inſtituto a Chriſto, & cum expreſſa invocatione trium Divinarum Perſonarum a Chriſto praeſcripta; hoc, inquam, omiſſo, facile refellitur, qui ita ſentiret, ex quo conſtet ex Actibus Apoſtolorum, quod primis illis temporibus dabatur baptizatis ſub viſibilibus ſignis Spiritus Sanctus; & quod Paulus quibuſdam diſcipulis dicentibus, ſe neque ſi Spiriritus Sanctus eſſet audiviſſe, mirabundus exclamaverit, = In quo ergo baptizati eſtis = ?

CII. Neque vero ante reſurrectionem Chriſti confiteri Jeſum, qui ſe Meſſiam dicebat, eſſe verum, & naturalem Dei Filium, non aliud erat, niſi confiteri, Deum ut unum, & habitum ac creditum ut perſonam unam, non adoptaſſe ſibi tantum, ſed vere ſibi feciſſe ex ſemine David ſecundum carnem Filium, qui unione hypoſtatica humanitatis ſuae cum Deo, ſit verus naturaliſque Dei Filius, ut nuperi illi contendunt. Haec eſt haereſis Sabellii; non fides juſtificans.

CIII. Hinc etiam apparet, quam ſit abſurdum, quod iidem nuperi docent, confiteri eo ſenſu Chriſtum eſſe Filium Dei, fuiſſe illam fidem, quam Chriſtus an-

nun-

Digitized by Google

nunciabat Judaeis, atque ab eis exigebat; & in qua Apoſtoli miſſi a Chriſto populos inſtruebant, antequam eis baptiſmum conferrent.

CIV. Quod ſi ſenſum unionis hypoſtaticae vocabulo expreſſum nuperi illi pervertunt, & intelligunt, ea ratione Chriſtum tunc debuiſſe credi Dei Filium, quatenus Deus ipſi excellentiora dona, & ampliorem dignitatem, auctoritatemque contulerit, quam Moyſi, & Prophetis; conſequitur, fidem, quae tunc juſtificabat, & quam annunciabant, atque exigebant Chriſtus, & Apoſtoli, eandem fuiſſe cum impio dogmate Sociniano.

CV. Tres itaque in uno Deo, hoc eſt in una natura, ſive eſſentia, aut ſubſtantia Divina profitemur realiter diſtinctas perſonas; atque hanc Trinitatem in primis ex veteris, tum ex novi teſtamenti libris contra Unitarios aſſerimus; in quibus eſt & celeberrimus verſiculus VII. capitis V. Epiſtolae I. Joannis, quem non adſcititium, ſed genuinum eſſe propugnamus.

CVI. Idem catholicum dogma ex traditione confirmamus; atque a Socinianorum cavillis, & ſophiſmatibus vindicamus.

CVII. Etſi una ſit trium Divinarum Perſonarum natura; non eſt tamen improbanda locutio = Trina Deitas=, ut viſum eſt Hincmaro; non enim Tritheiſmum exprimit, ſed ſecundum perſonas dicitur: unde non ſolum ſimiles locutiones inveniuntur apud Patres; ſed & hanc ipſam recepit Eccleſia in officio ſolemnitatis Corporis Chriſti.

CVIII. Prima Trinitatis Perſona Pater eſt, id habens nomen, quia neque profectus ab alio, ſed a ſe ipſo habere ut ſit, intelligatur; & a quo ille qui genitus eſt ſubſtitiſſe doceatur. Quare confitendum eſt, in Deo Patre eſſe aeternae virtutis innaſcibilem poteſtatem.

CIX. Quia a Patre tota plenitudo Divinitatis communicatur Filio per generationem, Spiritui Sancto per ſpirationem; principium dicitur Filii, & Spiritus Sancti: itemque, ut ipſum vocat S. Auguſtinus, principium totius Deitatis.

CX. Licet autem Spiritui Sancto tota plenitudo Divinitatis tribuatur a Filio una cum Patre; Filius tamen Divinitatis fons, origo, principium non dicitur; quia nimirum non ſicut Pater principium eſt de non principio; ſed principium de Patre principio: a quo ſicut habet, ut ſit Deus; ita habet, ut de ſe Spiritus Sanctus procedat.

CXI. Patrem autem eſſe auctorem, ſive principium Trinitatis tantum eſt a fidei veritate alienum, quantum eſt ſanctae religioni contrarium. In Trinitate enim ipſe etiam intelligitur Pater; nemo autem quolibet relativo nomine ſic poteſt ad ſuam, ſicut ad alterius referri perſonam: ut egregie monuit S. Fulgentius.

CXII. Arbitramur proinde, in formula fidei praemiſſa actis Concilii Wormatienſis anni 868. errorem irrepſiſſe vitio amanuenſium; quomodo eadem illa acta ſic vitiata ſunt, ut etiam iidem canones bis in illis actis legantur: & vocabulum Trinitatis, cujus ibi Pater dicitur fons, & origo, mendoſe poſitum loco vocabuli Deitatis, quod Patres illi legerant in Auguſtino, cujus ſe oſtendunt ſtudioſiſſimos.

CXIII. Patris nomen uſque adeo notionale eſt primae Perſonae, ut licet toti Trinitati communia ſint, quae dicuntur de Deo relate ad creaturas; tamen cum Deum dicimus Patrem noſtrum peculiari ſenſu deſignemus primam Trinitatis Perſonam.

CXIV.

Digitized by Google

CXIV. Hujus rei illa nobis probatur ratio, quam affert Angelicus: quod nimirum filiatio adoptiva, cum ſit ſimilitudo filiationis aeternae, appropriatur quidem Filio, ut exemplari, unde & per eam efficimur fratres Chriſti; & Spiritui Sancto, ut imprimenti in anima hujus exemplaris ſimilitudinem; at Patri, ut auctori; & ideo adoptare, quod eſt auctorem eſſe filiationis noſtrae adoptivae, Patri appropriatur.

CXV. Neque temere cum Deum Patrem noſtrum dicimus, primam Trinitatis perſonam intelligimus, ſed ex ipſius Chriſti inſtitutione, qui orationem, quam ipſe nos docere dignatus eſt, ad Patris perſonam fundi conſtituit; ut obſervat S. Fulgentius.

CXVI. Ex iſta regula, quam Salvator noſter inſtituit, Eccleſia, quae corpus ejus eſt, orationes ſuas ad Perſonam Patris fundere conſuevit; & ideo Patri dicimus orantes = Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum =.

CXVII. Quamvis autem ad unam tantum Trinitatis Perſonam noſtra plerumque dirigatur oratio, in ea tamen totius Trinitatis honorificentia continetur; nullaque fit ſeparatio Patris, & Filii, ſive Pater, ſive Filius a fidelibus invocetur.

CXVIII. Hoc nimirum habet naturalis unitas Trinitatis, ut inſeparabiliter cuncta tribus illis perſonis exhibeantur ſanctae Religionis obſequia, in quibus una eſt inſeparabilis natura. Et ideo in orationibus, quas una vera Eccleſia fundit ad Deum, & naturae ſervatur unitas, & perſonarum diſtinctio cuſtoditur: ut cum ad Patrem dirigatur oratio, qui eſt origo Filii & Spiritus Sancti, Trinitatem veram ipſe finis orationis oſtendat; ut iterum S. Fulgentius advertit.

CXIX. Potiori igitur jure Patris nomine, quoties in praedicatione logica opponitur Jeſu Chriſto Filio Dei, deſignari intelligimus primam Trinitatis Perſonam; non vero Deum ut unum, & ſubſiſtentem in tribus Perſonis; ut perperam docuit Beruyerius.

CXX. Nimirum Deus ut ſubſiſtens in tribus Perſonis, eſt Trinitas. Quis autem, egregie ajebat Fabianum Arianum confutans S. Fulgentius, quis audeat Jeſum Chriſtum totius Trinitatis, ac proinde & Sui ipſius, & Spiritus S. Filium praedicare?

CXXI. Eſt quidem in Chriſto, praeter Divinam, natura etiam humana. At non propterea non repugnat, quod in ſenſu reali Chriſtus, quatenus homo, ſit ſui filius quatenus Deus, ut nuperus ille contendit. Oportet quippe perſonam eſſe diſtinctam a Patre filium, ut idem auctor non diffitetur. Ideo Catholica veritas, ſicut non permittit quartam perſonam plenitudini Trinitatis adjungere, aut cum Neſtorio duas in Chriſto perſonas confingere; ſic omnino prohibet, Jeſum Chriſtum Filium Trinitatis nuncupare, ut ratiocinatur S. Fulgentius.

CXXII. Quin etiam ludit in verbis nuperus ille, dum Chriſtum & filium dicit Dei, ut eſt unus, ac ſubſiſtens in tribus perſonis, & filium naturalem. Non eſt enim naturalis filius, qui naturam non recipit per generationem. Naturam porro humanam in Chriſto quis, niſi inſanus, & blaſphemus, audeat aſſerere genitam eſſe a Trinitate?

CXXIII. Quare ſi Chriſtus, ut homo, eſſet Filius Dei, ut unus eſt, & ſubſiſtens in tribus Perſonis, nonniſi adoptivus Filius eſſet; adeoque eſſet Perſona extranea Patri, Sibi ipſi ut Deus, & Spiritui Sancto: quod quid eſt aliud, quam fundatiſſimam Eccleſiae fidem de Trinitate, & Incarnatione ſubvertere?

CXXIV. Sed hic omnis error ex illo alio profluit, quem idem Berruyerius ex Har-

Digitized by Google

Harduino ſuo praeſtituit; quod ſcilicet cum Jeſum Chriſtum Filium Dei unicum, ſive unigenitum appellamus, nomine Filii Dei deſignetur homo omnium excellentiſſimus, quem Deus creare poſſit, homo tamen; adeo ut in recto veniat ipſa per ſe Jeſu Chriſti humanitas, ut unita Verbo; non autem ipſa Verbi Perſona: ſitque imo Verbum ea ratione Filius Dei, quemadmodum & mortalis idem, & caro; videlicet propter communicationem idiomatum: nec proinde ante Incarnationem Filius fuerit, ſed Verbum.

CXXV. Hunc ipſum porro errorem in Arianis exhorruit Eccleſia, qui, ut ſcribit S. Athanaſius, non verebantur diſtinguere Verbum a Filio; & dicere, aliud eſſe Verbum, aliud autem Filium; primumque fuiſſe Verbum, deinde Filium.

CXXVI. Adverſus hos omnes aſſerimus Patris, & Filii nomina in Divinis eſſe notionalia; illud primae, hoc ſecundae Perſonae.

CXXVII. Revera cum Verbum in divinis procedat per intellectum; proceſſio autem per intellectum ſit ſecundum rationem ſimilitudinis, quia intellectus ſit in actu per hoc, quod res intellecta eſt in intellectu ſecundum ſuam ſimilitudinem; ideo proceſſio Verbi habet rationem generationis; ſecus ac illa Spiritus Sancti procedentis per voluntatem ad modum amoris; in quo ſimilitudo attenditur non quaſi ipſe amor ſit ſimilitudo, ſed in quantum ſimilitudo eſt principium amoris. Verbum proinde, utpote quod procedit per modum generationis, eo eſt Filius, quo Verbum.

CXXVIII. Inepte autem qui Verbum dicunt non in principio, atque a tota aeternitate fuiſſe Filium, ſed ſolum poſt incarnationem, ſive ex illo tempore, ſolent nobis obtrudere, in Evangelio Joannis primam perſonam initio Deum appellari, non Patrem, & ſecundam Verbum nominari, non Filium; ex quo autem Verbum caro factum eſt, jam inde Filium eſſe nominatum, & primam Perſonam Patrem eſſe dictam. Nugamenta haec ſunt Arianorum. Nam & in celeberrimo verſu 7. capitis V. Epiſtolae I. Joannis Perſona, quae Patri ſubnectitur, Verbum appellatur, non Filius; & in Apocalypſi ille, qui veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, quo deſignatur tempus poſt incarnationem, dictus eſt vocari Verbum Dei. Sed & in ipſo 1. capite Evangelii, gloria, non quidem carnis, ſed utique Verbi dicta eſt gloria Unigeniti a Patre; ipſeque Unigenitus dictus eſt in ſinu Patris, ubi certe non eſt ſecundum aſſumptam naturam.

CXXIX. Ceterum ſi conferantur inter ſe initium Evangelii Joannis cum initio primae ejus Epiſtolae, aperte dignoſcitur, idem eſſe = apud Deum =, ac = apud Patrem =, adeout Epiſtola ſua Joannes adteſtetur Evangelio ſuo, ubi ſcripſerat, = In principio erat Verbum &c. =; ut ait S. Auguſtinus.

CXXX. Impudentiſſimum eſt autem aſſerere, quod non ſatis conſiderate, aut ſatis catholice aliqui forte catholici arbitrentur, Verbum apud Deum in capite I. Evangelii Joannis idem eſſe, ac Verbum vitae apud Patrem in cap. I. Epiſtolae I. ejuſdem: impudentiſſimum, inquam eſt, id aſſerere; cum utique ſic intellexerint SS. Eccleſiae Doctores, non forte, ſed procul dubio Catholici, Socinianam, antequam oriretur, refellentes expoſitionem, quae per Verbum vitae propugnat deſignari doctrinam ſalutarem, qua ratio continetur vitae aeternae promerendae. Ex quo refellitur Harduinus.

CXXXI. Nugamenta pariter ſunt Arianorum aſſerere, quod diſcrimen nominum Verbi, & Filii cauſa fuerit, ut in forma baptiſmi non Verbi, ſed Filii appellatio poſita ſit; quaſi aliud ſit Verbum, & aliud Filius: quod ſi eſſet; non ergo ad Verbum pertineret baptiſma; ut advertit S. Athanaſius.

CXXXII.

Digitized by Google

CXXXII. Itaque cur nomen Filii potius quam Verbi ex Dominica inſtitutione uſurpetur in forma baptiſmi, ea eſſe poteſt ratio; quia in hoc Sacramento ſicut aſſumitur aqua, quia ejus uſus communior eſt ad abluendum: ita ad ſignificandas tres Perſonas illa nomina aſſumi conveniens fuit, quibus eaedem conſueverunt nominari. Qua de cauſſa prima perſona in eadem forma baptiſmi dicta eſt Pater, non Genitor; licet Patris, & Genitoris vocabula idem ſignificent.

CXXXIII. Fortaſſe etiam Filii potius, quam Verbi vocabulum praeſcriptum eſt, tum ut Verbum intelligeretur perſonam eſſe ſubſiſtentem, tum ne rudiores putarent, Verbi nomine illud deſignari, quod profert miniſter ſacramenti pronunciando formam.

CXXXIV. In forma autem abſolutionis aequum eſt, iiſdem nominibus exprimere perſonas ad interioris hominis renovationem, quibus exprimuntur ad ſpiritualem ejuſdem regenerationem: iiſdemque pariter uti in hymno glorificationis, quibus utimur ad obtinendum regenerationis, ac renovationis beneficium.

CXXXV. Revera autem in nomine Verbi eadem proprietas importatur, quae in nomine Filii; eſtque tam Verbi, quam Filii nomen notionale ſecundae in Divinis perſonae.

CXXXVI. Filius itaque, cui Pater dedit vitam habere in ſemetipſo, non eſt humanitas Chriſti, cui ut unitae Verbo dederit Pater ex dono habere in ſe poteſtatem excellentiae, qua vitam ſpiritualem meritorie, & moraliter efficiat in hominibus, ſed eſt ipſum Verbum, cui Pater dedit, utique ipſum gignendo, ut non participatione vivat, ſed ſicut Pater in ſemetipſo, hoc eſt incommutabiliter, vivat, & omnino Ipſum ſit vita.

CXXXVII. AEterna Jeſu Chriſti, ut Deus eſt, generatio a Patre exprimitur a Michaea per = Egreſſum ab initio a diebus aeternitatis =: ubi egreſſus idem eſt, ac emanatio. Non autem illis verbis exprimitur generatio hominis ab antiqua ſtirpe Davidis; ut nuperi illi comminiſcuntur.

CXXXVIII. De eadem aeterna generatione Jeſu Chriſti, ut Verbum eſt, non ſolum a SS. Eccleſiae Doctoribus, verum etiam ab Apoſtolo Paulo intelligitur quod habetur in Pſalmo, = Filius meus es tu, ego hodie genui te =. Tantum abeſt, ut ea verba referantur ad ipſius Jeſu Chriſti humanitatem; quod etiam fuit Socinianorum commentum.

CXXXIX. Apoſtolus autem Davidicum illud oraculum transferens ad Reſurrectionem Jeſu Chriſti, atque ad aeternum ejus Sacerdotium, non ſignificavit, accipiendum eſſe de Chriſti humanitate, ut perperam nuperi illi exiſtimant; ſed docuit, omnia, quae de Chriſti gloria dicuntur, ab illo unico fonte profluere, quod ſit natura, & vera generatione Filius Dei.

CXL. Illa porro actio Dei ad extra communis toti Trinitati, qua in utero Virginis de ipſius carne formata eſt caro Chriſti, & ex nihilo creata rationalis ejus anima, corporique conjuncta, totaque humanitas unita Perſonae Verbi, ut eſſet ſubſiſtens, nonniſi abſurdiſſime a nuperis illis appellatur vera, & phyſica generatio. Quidquid enim eſt, quod generat; id, quod eſt, generat: unde ſi Deus, ut unus, genuiſſet humanitatem Chriſti per liberam actionem ad extra, quae ſit vera, phyſica, & proprie dicta generatio; profecto humanitas Chriſti eſſet Deo conſubſtantialis.

CXLI. Neque per actionem illam ad extra, ac per hoc liberam, Dei, ut unus eſt

Digitized by Google

eſt in tribus Perſonis ſubſiſtens ; natura Divina eo ſenſu communicata eſt humanitati Chriſti, ut haec veram, & realem proprietatem acquiſiverit, qua fieret verus, naturaliſque Dei Filius.

CXLII Quinimo nec omnis naturae Divinae communicatio poteſt dici vera, phyſica, & propria generatio; cum utique communicatio hujuſmodi habeatur in proceſſione Spiritus Sancti, quae tamen non eſt generatio.

CXLIII. Sed neque illud aſſeri poteſt, per illam actionem genitum eſſe Chriſtum, ut eſſet Deus. Chriſtus quippe, ut Deus, eſt ipſum Dei Verbum genitum non in tempore; ſed ab aeterno: non a Deo ut uno, ac ſubſiſtente in tribus perſonis Divinis; ſed a ſolo Patre: non per actionem ad extra, liberam, tranſeuntem, totique Trinitati communem; ſed per actionem ad intra, neceſſariam, immanentem, ac ſolius Patris propriam.

CXLIV. Nec omittenda contradictio principiorum, quibus nuperi illi innituntur; cum ſit ea proprius, ac manifeſtus caracter erroris. Cum nimirum communicationem Divinae naturae humanitati Chriſti per actionem liberam Dei, ut unius, velint eſſe proprie dictam generationem: volunt deinde ſecundam Perſonam ante incarnationem fuiſſe Verbum, non Filium, ſed poſt incarnationem tantum etiam Filium. Hoc eſt communicationem Divinae naturae per actionem ad extra, volunt eſſe veram generationem; communicationem autem Divinae naturae ad intra negant talem eſſe, per quam prima Perſona vere in Divinis dicatur, & ſit Pater; & ſecunda Filius.

CXLV. In eo etiam ſecum pugnant, quod cum Chriſtum Filium dicant Dei unius ſubſiſtentis in tribus perſonis propter actionem illam ad extra toti Trinitati communem; Patris tamen nomen non ſecundae, non tertiae Perſonae tribuunt; ſed primae dumtaxat, quam ante incarnationem Deum dictam, non Patrem; poſt incarnationem Patrem appellatam in capite primo Evangelii Joannis affirmant.

CXLVI. Non ergo in incarnatione aut humanitati Chriſti attributum eſt ut eſſet naturalis Filius Dei ut unius; aut Verbo acceſſit ſive ut inciperet eſſe Filius Dei Patris, ſive ut praeter illam filiationem aeternam, qua refertur ad primam Perſonam, ut ad Patrem, novam aliam, & quidem naturalem filiationem acciperet, qua referretur ad Deum, ut unus eſt, & in tribus perſonis ſubſiſtens.

CXLVII. Nec alia de cauſſa Chriſtus, etiam ut homo, Filius Dei eſt, niſi quia illa Creatura, quam Virgo concepit, & peperit, licet eam tota Trinitas operata ſit; ad ſolam tamen pertinet Filii Perſonam, quae ſola naturam illam in genere ſubſiſtendi complevit.

CXLVIII. Proinde ſi Pater naſceretur de Virgine, pro eo quod ipſa perſona non de Deo, ſed de Virgine tantum naſceretur, non Dei Filius, ſed tantum hominis filius veraciter naſceretur; ut egregie monet S. Fulgentius.

CXLIX. Unde & conveniens fuit, ſecundam Perſonam incarnari, non aliam: ut qui Filius Dei erat propter aeternam generationem a Patre, fieret Filius hominis propter temporalem generationem a Matre in aſſumpta natura, atque ita non eſſent in Trinitate duo filii.

CL. In eo autem quod ait Angelus Mariam alloquens, = Spiritus Sanctus &c. ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei =, particula = Et = minime ſignificat, non tantum Verbum, ſed naſciturum etiam ex Maria Filium vocandum eſſe nova ratione Filium Dei unius; quod plane eſſet ſeparare a Verbo Fi-

 lium

lium Mariae, duaſque in Chriſto perſonas admittere; ſed ſignificat; Chriſtum etiam in aſſumpta natura Filium Dei Patris eſſe propter Verbum, ut ait S. Bernardus.

CLI. Relativum vero pronomen neutro genere adhibuit Angelus, & ſubſtantive dixit = Sanctum =, non ut humanitatem praeciſe deſignaret; ſed ut imo intelligeremus, totum id, quod ex Maria naſciturum erat, Verbum nempe carnem factum, non duplicem eſſe Filium, ſed unum Filium Dei, cui non ſolum competat Sanctitas per Spiritus ſanctificationem, ſed etiam propter factam a Verbo aſſumptionem, ut idem S. Bernardus advertit.

CLII. Propterea praemiſit Angelus, non ſolum quod Spiritus Sanctus ſuperventurus eſſet in Virginem; ſed etiam quod Virtus Altiſſimi ei eſſet obumbratura; atque hinc intulit, = Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei = . Virtus nempe Altiſſimi ipſe eſt Dei Filius; appellatus ideo Dei Virtus, & Dei Sapientia: qui cum ſecundum generationem a Patre ſit Candor lucis aeternae, Splendor gloriae, Lumen de lumine, carnem mediante anima in utero Virginis ſibi uniens, quaſi umbram fecit, quae a lumine formatur, & corpore. Quia enim Filius Dei ſupervenit in generatione, ideo Filius Dei futurus erat in partu, ut contra Neſtorium ſcribit Caſſianus.

CLIII. Talis revera declaratus eſt virtutibus, & prodigiis, quae in ſuae Divinitatis confirmationem Chriſtus patravit. Hic nempe juxta Syriacam, & AEthiopicam verſionem, necnon juxta plures Patres, eſt ſenſus illorum verborum Apoſtoli, in quibus juxta Vulgatam noſtram Chriſtus dicitur = Praedeſtinatus Filius Dei in virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti =.

CLIV. Neque ſolum declaratus eſt Filius Dei ex ſignis, & prodigiis eo titulo, quod fieri ea nequeant in confirmationem erroris, facta ſint autem ad confirmandam praedicationem Chriſti, qua ſe Filium Dei annunciabat: ſed praeterea, quia idem ipſe erat auctor miraculorum, eaque propria virtute faciebat.

CLV. Hinc eſt, quod Chriſtus miracula operabatur imperio, & poteſtate, ut manifeſtum eſt ex evangelica hiſtoria. Quin & ipſe Diabolus de poteſtate aeſtimandum putavit Filium Dei: unde non dixit, = Si Filius Dei es, obſecra =; ſed, = Dic; ideſt impera, ut lapides iſti panes fiant =.

CLVI. Itaque tolerabiliora ſunt tentamenta Diaboli, quam argumenta Arii, & Socinianorum, qui hoc praeciſe diſcrimen ſtatuunt inter poteſtatem operandi miracula Sanctis conceſſam, & eam quae competit Chriſto; quod illis ea poteſtas eſſet indebita, neque ſcirent momenta a Deo praefixa patrandis miraculis; Chriſtus vero ea noverit; eaque potentia humanitati ſuae eſſet debita ratione dignitatis perſonae, in qua ſubſiſtebat: ejuſdem tamen ordinis cum illa, quae Sanctis conceditur; adeout miraculorum non fuerit niſi cauſſa moralis, inquantum prece impetrabat, ut Deus miracula operaretur, pro quibus ipſe rogabat.

CLVII. Poteſtatem hanc potiſſimum oſtendit in ſuſcitatione Lazari. Nam Marthae dicenti, = Scio, quia quaecumque popoſceris a Deo, dabit tibi Deus =, ut oſtenderet Chriſtus, ſua ſe poteſtate, ac auctoritate haec facere, reſpondit, = Reſurget Frater tuus =, illud confutans = Quaecumque popoſceris =; neque enim ait, = Poſcam =; ſed, = Reſurget =. Tum apertius ſuam deſignans auctoritatem addidit, = Ego ſum reſurrectio, & vita =, commoſtrans ſe non alterius auxilio

xilio

Digitized by Google

xilio indigere, ſiquidem ipſe eſt vita; atque ideo, ſicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic & Filius quos vult vivificat.

CLVIII. Oravit quidem Chriſtus ad Lazari monumentum: ſed quaenam fuit ejus oratio? = Pater gratias ago tibi =, oſtendens ſe precibus non indigere: deinde addidit, = Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis =; hoc dicens, non quod non poſſet, ſed quod una eſſet voluntas. Jam cur precandi forma ſit uſus aperiens ſubdidit, = Propter circumſtantem turbam, ut cognoſcant, quia tu me miſiſti =: non dixit, Ut cognoſcant me minorem eſſe, me ſuperna gratia egere, & ſine precatione operari non poſſe; ſed, = Quia tu me miſiſti =. Denique voce magna clamavit; nec dixit, Suſcita illum Pater; aut, In nomine Patris mei veni foras; ſed operibus oſtendens potentiam, qui verbis oſtenderat humilitatem, imperando dixit, = Lazare veni foras =; ut obſervat S. Joannes Chryſoſtomus.

CLIX. Nihilominus verum eſt, quod non poteſt Filius a ſe facere quidquam: at quod non poſſit, non deficientis eſt; ſed in eo, quod de Patre natus eſt, permanentis. Et illud itidem verum eſt, quod Chriſtus opera, quae faciebat in nomine Patris ſui faciebat: ſed hoc ideo, quia Patris, & Filii una eſt poteſtas; eam autem non Pater a Filio accipit, ſed Filius a Patre.

CLX. Etſi vero Apoſtoli locus Rom. I. 4. ubi Vulgata noſtra legit, Praedeſtinatum Filium Dei, optime ſic intelligitur, ut virtute ſignorum Chriſtus manifeſtatus ſit Dei Filius; non eſt tamen repudianda lectio noſtrae Vulgatae. Vere enim Chriſtus dici poteſt Praedeſtinatus.

CLXI. Qui nimirum Filius Dei Patris erat, factus eſt ex ſemine David ſecundum carnem, in qua cum exiſteret nihilominus Filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, praedeſtinatus eſt, non ut eſſet aut Filius Dei Patris naturalis, quod jam erat, aut Filius ſive naturalis, ſive adoptivus Dei ut unius, & ſubſiſtentis in tribus perſonis, quorum neutrum eſſe poterat; ſed praedeſtinatus eſt, ut in ipſa quoque aſſumpta natura, ſecundum quam erat Filius hominis, eſſet nihilominus Unigenitus Dei Patris Filius; dum ſic aſſumeret naturam hominis, ut non etiam aſſumeret hominis perſonam.

CLXII. Dictus eſt etiam Praedeſtinatus, ut ſcilicet eſſet in aſſumpta natura primogenitus ex reſurrectione mortuorum, eorum ſcilicet ipſius Jeſu Chriſti, hoc eſt ad ſe pertinentium, quos praeceſſit ad gaudium vitae aeternae: ut ſit ordo: Eum, qui Filius Dei eſt in virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis, praedeſtinatum eſſe ex reſurrectione mortuorum ipſius Jeſu Chriſti: qui verborum ordo certior, & melior videtur; ut ait S. Auguſtinus.

CLXIII. Falluntur proinde, qui ex quo Chriſtus dictus ſit praedeſtinatus, inferunt, Chriſtum eſſe Filium Dei adoptione gratiae; aut ſaltem in ipſo eſſe Filiationem temporalem ſive relate ad Deum Patrem, ſive relate ad Deum unum, & ſubſiſtentem in tribus Divinis Perſonis.

CLXIV. Adoptivam porro filiationem in Chriſto eſſe non poſſe, ex eo oſtendimus, quod haec ſupponat perſonam extraneam adoptanti; Chriſti autem Perſona Deo extranea non eſt, ſive Dei nomine intelligatur Deus Pater, ſive Deus ut unus, & ſubſiſtens in tribus Perſonis Divinis.

CLXV. Humanitas autem non eſt filiationis ſubjectum; generatio quippe, & generationis ſimilitudo adoptio non ad naturam, ſed ad ſuppoſitum terminant.

Digitized by Google

Unde ipſa humanitas Chriſti neque ſpectata in ſe, neque ut unita Verbo habere poteſt filiationem aliquam, & dici Filius ſive naturalis, ſive adoptivus.

CLXVI. Ratione igitur humanitatis nequit admitti in Chriſto ulla filiatio temporalis ſive reſpectu Dei Patris, ſive reſpectu Dei ut unius, & in tribus perſonis ſubſiſtentis. Quare nonniſi una in Chriſto Filiatio eſt, eaque reſpectu Dei Patris, non Dei ut unius, & ſubſiſtentis in tribus perſonis; & filiatio quidem naturalis, non adoptiva; aeterna, non temporalis.

CLXVII. Nimirum Chriſtus Jeſus eſt Verbum caro factum. Ubi non phantaſma carnis; ſed vera caro intelligenda eſt: eaque non de nihilo creata, neque de caelo delata; ſed tracta de Maria Virgine, in cujus utero virtute Spiritus Sancti, non vero de ſemine viri concepta, & formata eſt; & ideo vera quidem caro, non tamen caro peccati; ſed, propter paſſibilitatem & mortalitatem ſuſceptam, in ſimilitudinem carnis peccati.

CLXVIII. Neque aliquid minus habuit, quod ad humanam certum eſt pertinere naturam; ſive nimirum humanam animam, ſive in ipſa anima humanam mentem, & humanam voluntatem.

CLXIX. In ipſa autem humanae naturae aſſumptione a Verbo Dei facta neque Divinitas in humanitatem converſa eſt, neque humanitas a Divinitate abſorpta, neque ex duabus naturis tertia quaedam reſultavit. Sed duas omnino credere, & confiteri oportet, etiam poſt unitionem, naturas Divinam, & humanam in Chriſto Jeſu impermixtas, & inconfuſas, ſuaſque unamquamque earum ſervantem proprietates.

CLXX. Mixtionis quidem nomen poſuerunt nonnulli etiam SS. Patres: neque tamen metuendum, ne quam confuſionem contigiſſe aeſtimarint ad inſtar liquidorum, quae inter ſe mutuo commiſcentur. Non ſic illi ſenſerunt: ſed ea voce ſunt uſi, cum ſummam unionem oſtendere ſtuderent.

CLXXI. Ex quo autem duas naturas in Chriſto impermixtas, & inconfuſas catholica fides praedicet, duae itidem agnoſcendae ſunt in Chriſto voluntates: non quidem ambae humanae, altera ſpiritus, altera carnis invicem repugnantes; cum veritatem carnis utique habuerit, carnem peccati non habuerit: ſed Divina una, humana altera, naturales merito appellatae, quia voluntas non perſonam ſequitur, ſed naturam. Duae itidem praedicandae in Chriſto naturales operationes, Divina ſcilicet, & humana: agit enim utraque forma, Dei ſcilicet, & ſervi, cum alterius communione, quod proprium habuit.

CLXXII. Non tamen duae ſunt in Chriſto perſonae, Divina, & humana, ut impie blaſphemavit Neſtorius, ſed unica perſona Verbi; quippe quae non habitavit in homine Chriſto tamquam in templo, ſed humanitatem in ſuum jus aſſumpſit, ſibique inſeparabiliter univit.

CLXXIII. Hinc B. V. Maria, quae Verbum Dei genuit in aſſumpta ab ipſo humana natura, vere eſt, recteque dicitur Mater Dei.

CLXXIV. Propter hanc exactam unitionem aſſumptae carnis, & aſſumentis Divinitatis in unitatem ſcilicet Perſonae, mutuo transferuntur vocabula, ut humanum ex Divino, & Divinum ex humano denominetur; id quod appellari conſuevit Communicatio idiomatum.

CLXXV. Secundum hanc idiomatum communicationem & Filius hominis dictus eſſe in caelo, cum in terra eſſet, & in terra loqueretur; & Dominus glo-

riae

Digitized by Google

riae crucifixus. Non eſt proinde cur tamquam Euthichiana culpetur propoſitio illa Joannis Maxentii,& cum eo Monachorum in Scythia, =Unus de Trinitate paſſus = ,quae catholica eſt, & catholico ſenſu a Monachis illis propugnabatur.

CLXXVI. Cum plures aſſignentur a Theologis regulae ſervandae in enunciationibus, quae fieri poſſunt de Chriſto ex vi communicationis idiomatum, ex omnibus illis, vel ſaltem praecipuis, hanc firmamus; ut ſcilicet propoſitionis ſubjectum ſit terminus concretus connotans perſonam, & ſupponens unionem naturarum; concretus item terminus ſit praedicatum aliquam alterutrius naturae proprietatem denotans; atque huic termino apponatur limitatio illius naturae, cui repugnat, ſi propoſitio fuerit negativa.

CLXXVII. *Jeſus Chriſtus* itaque Filius hominis eſt propter aſſumptam in tempore humanitatem, in qua conſubſtantialis eſt Matri; & Filius Dei propter Divinam naturam, quam per aeternam generationem habet a Patre, cui eſt in eadem conſubſtantialis.

CLXXVIII. Fidem hanc de Filii Divinitate apertiſſima evincunt ſcripturarum teſtimonia: eamque fidem numquam non habuit Catholica Eccleſia. Non habuiſſet porro,ſi Antenicaeni Patres vel omnes,vel plerique alterius a Patre naturae Filium aſſeruiſſent, ut ſuadere nititur Petavius.

CLXXIX. Melius igitur, quam Petavius, egit hac in parte Catholicae Eccleſiae cauſſam Georgius Bullus, quamquam ab Eccleſia alienus. Et profecto injuria prorſus praeformati Arianiſmi nota Sanctiſſimis illis Patribus affingitur.

CLXXX. De Origene Adamantio gravius eſt dubium. Arbitramur nihilominus cum Oroſio, Origenem de Trinitate doctrinam ſanam tenuiſſe; in iis videlicet, ut antea obſervaverat S. Athanaſius, quae fidenter definit, & affirmat.

CLXXXI. Recte autem omnino Nicaeni Patres Jeſum Chriſtum Filium Dei appellarunt Patri Conſubſtantialem, eamque vocem ſymbolo inſeruerunt.

CLXXXII. Haec porro Conſubſtantialitas ob ſummam Divinae naturae unitatem, & ſimplicitatem importat non unitatem naturae ſpecificam, ſecundam quam ut homo conſubſtantialis eſt Matri, ſed unitatem numericam. Ex quo intelligitur, cur Chriſtus & in ſe eſſe Patrem, & ſe eſſe in Patre affirmaverit.

CLXXXIII. Tertia SSmae Trinitatis Perſona eſt Spiritus Sanctus. Errant enim omnino qui nomine Spiritus Sancti non aliud intelligunt, niſi vim quandam, aut energiam, aut donum aliquod creatum. Conſtat enim apertiſſimis ſcripturarum oraculis, & perpetua Eccleſiae traditione, Spiritum Sanctum eſſe ſubſiſtentem in Divinis Perſonam.

CLXXXIV. In Divinis, inquam. Neque enim creatura eſt Spiritus Sanctus; ſed vere Deus, Patri Filioque conſubſtantialis; ut rurſus ex ſcripturis, & traditione evincimus.

CLXXXV. A Patre procedere Spiritum Sanctum nemo, qui ipſum confiteretur Perſonam Divinam, umquam negavit. At Spiritus Sancti proceſſionem etiam a Filio acriter impugnarunt Graeci ſchiſmatici: quos ideo ſcripturis potiſſimum urgemus, demonſtrantes non ſolum a Patre, ſed a Filio etiam procedere Spiritum Sanctum.

CLXXXVI. Jure igitur in oecumenico Concilio Florentino ſolemni definitione recepta eſt additio particulae *Filioque* Symbolo C. P. jam pridem licite, ac rationabiliter facta veritatis declarandae gratia, atque imminente tunc neceſſitate.

CLXXXVII. Etiamſi vero de Patre, & Filio procedat Spiritus Sanctus; fatendum tamen eſt, Patrem, & Filium principium unum eſſe Spiritus Sancti, non duo principia; unaque ſpiratione, non duplici Ipſum a Patre, & Filio procedere.

CLXXXVIII. Neque aut Patris, aut Filii, aut utriuſque Filius eſt Spiritus Sanctus; non enim procedit ut natus, ſed ut amor; in quo proinde ſimilitudo, quae ad generationem proprie dictam requiritur, ſic attenditur; non quaſi ipſe amor ſimilitudo ſit, ſed in quantum ſimilitudo eſt principium amoris.

CLXXXIX. Et quoniam donum Dei cum appellatur in ſcripturis Spiritus Sanctus, nobiſque donari dicitur a Patre, & a Filio, ipſum a Patre, & a Filio procedere intelligimus; ideo etiam dicitur procedere ut donum. Neque tamen hinc ſequitur, ipſum non eſſe Patri, Filioque coaeternum: nam temporaliter quidem donatur, ſed ſempiterne eſt donum; ut inquit S. Auguſtinus.

CXC. Denique Spiritum Sanctum cum non dicamus genitum, non tamen dicimus ingenitum; ne in hoc vocabulo vel duos Patres in illa Trinitate, vel duos, qui non ſunt de alio, quiſpiam ſuſpicetur: ut proinde Pater ſolus, quia non eſt de alio, appelletur ingenitus, non quidem in ſcripturis, ſed in conſuetudine diſputantium.

CXCI. Haec itaque Fides Trinitatis, & Incarnationis magis, vel minus explicita neceſſaria quocumque tempore fuit homini lapſo ad juſtificationem, & ſalutem. Haec tamen fides, niſi per dilectionem operetur, mortua eſt.

CXCII. Hinc Chriſtus Dominus adoleſcenti ſciſcitanti, quid faciendo vitam aeternam conſequeretur, obſervantiam mandatorum tamquam neceſſariam propoſuit: eum itidem a Patre diligendum aſſeruit, & juſtificandum, qui ſermones ſuos ſervaverit; in quibus nemo ſinitur ignorare injunctam eſſe omnibus praeter fidem, etiam paenitentiam, & dilectionem Dei ac Proximi.

CXCIII. Quod ergo ait Apoſtolus, = Arbitramur juſtificari hominem per fidem, & non ex operibus =, non ita intelligendum eſt, quaſi praeter fidem nihil aliud requiratur ad juſtificationis gratiam promerendam; cum imo, ut idem ſcribit Apoſtolus, non auditores legis juſti ſint apud Deum, ſed factores legis juſtificentur; neque in Chriſto Jeſu quaecumque fides valeat, ſed illa, quae per dilectionem operatur. Sed ſic debet intelligi, quomodo perpetuus Eccleſiae conſenſus expreſſit: ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanae ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis.

CXCIV. Ad juſtificationem igitur diſponuntur adulti, dum excitati Divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quae divinitus revelata, & promiſſa ſunt; atque illud in primis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae eſt in Chriſto Jeſu; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes a Divinae juſtitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes, Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tamquam omnis juſtitiae fontem diligere incipiunt.

CXCV. Initialem hunc amorem, quem Sancta Synodus recenſet inter diſpoſitiones ad juſtificationem neceſſarias, propugnamus amorem eſſe non praeciſe ſpei, ſed benevolum, ſeu caritatis; eumque requiri aſſerimus ad juſtitiam per ſacramentum obtinendam.

CXCVI. Ad diſpoſitiones etiam neceſſarias, ut quis juſtificationem conſequatur, pertinet, ut ubi paenitens Deum diligere incoeperit tamquam omnis juſtitiae fon-

Digitized by Google

fontem, propterea moveatur adverſum peccata per odium aliquod, & deteſtationem; & quidem, ut ajunt Lovanienſes, prout peccata ſunt offenſa Dei: ac proponat ſuſcipere Sacramentum, inchoare novam vitam, & ſervare Divina mandata.

CXCVII. Opera proinde, quae excludit Apoſtolus dicens, = Non ex operibus =, ſunt opera, quibus impleantur praecepta legalia, ideſt vitae ſignificandae; non autem ſunt ea, quibus implentur praecepta moralia, ideſt vitae agendae. Unde Apoſtolus non praeciſe ait, = Sine operibus, = ſed, = Sine operibus legis = ; qualia nimirum erant vetera ſacramenta, quae neque antequam Chriſtus veniret quidquam valebant ad juſtificationem, niſi per fidem in Mediatorem, qui credebatur, iiſque ſacramentis praeſignabatur venturus.

CXCVIII. Etiamſi autem, praeter fidem, requiratur ad juſtificationem ſpes, amor aliquis benevolus, odium & deteſtatio peccati prout eſt offenſa Dei, propoſitum novae vitae, quae ſunt illa opera, quorum tunc, cum quis vult juſtificari, urget praeceptum; nihilominus homo dicitur juſtificari = Gratis = : quia nimirum nihil eorum, quae juſtificationem praecedunt, ipſam juſtificationis gratiam promeretur; ipſaque fides, unde incipiunt bona quaecumque ſunt merita, gratuitum donum Dei eſt.

CXCIX. Neque ubi homo fuerit juſtificatus liberum putare ſe debet ab obſervantia mandatorum: qui enim juſti ſunt, diligunt Deum; qui autem diligunt Deum, mandata ejus ſervant.

CC. Per hanc adimpletionem mandatorum, tentationum victoriam, & exercitationem virtutum; uno verbo per opera bona, quae tamen niſi adjuvetur actuali ſubminiſtratione virtutis nemo praeſtat, merentur juſti vere, & proprie vitam aeternam.

CCI. Ipſa nimirum gratia ſanctificans, qua ſunt Filii Dei, tribuit iiſdem operibus bonis dignitatem, ut cum ipſa vita aeterna habeant proportionem.

CCII. Neque vero hinc ſequitur, quod ſicut opus malum ex natura ſua eſt mortis aeternae meritorium, ſic bonum opus ſit vitae aeternae meritorium, ut aſſeritur in II. articulo ex LXXVI. damnatis a S. Pio V. Conſtitutione = Ex omnibus afflictionibus = . Damnati ſiquidem articuli ſenſus tum ex ipſis verbis perſpicuus eſt, tum ex articulo XIII. = Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, ſed tantum ex eo, quod ſunt conformia legi, quodque per ea praeſtatur obſervantia legi = : quae doctrina erronea traditur etiam articulis XII., & XV.

CCIII. Nos contra expreſſe operum hujuſmodi dignitatem a gratia juſtificante repetimus; adeo ut opus citra gratiam adoptionis factum minime ſit regni caeleſtis meritorium: ipſaque juſtificatorum opera ſi ſpectentur in ſe ipſis, & ſecluſa dignitate, quam habent a gratia ſanctificante, fatemur cum Apoſtolo, non eſſe condigna ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.

CCIV. Ipſa nihilominus vita aeterna dicta eſt ab Apoſtolo = Gratia Dei = : & juſtus, cui redditur remuneratio, merces, denarium, bravium, corona juſtitiae, coronari nihilominus dicitur in miſericordia, & miſerationibus; quia nimirum eadem merita, quibus redditur, non a nobis patrata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam: non ergo quia meritis non datur; ſed quia data ſunt merita, quibus datur; ut ſcite obſervat S. Auguſtinus.

CCV.

Digitized by Google

CCV. Sed & alio etiam ſenſu coronat Deus in miſerationibus dona ſua, quae voluit eſſe merita noſtra. Non enim opera bona juſtorum non accipient in die extremi judicii ampliorem mercedem, quam juſto Dei judicio mereantur accipere, ut falſo aſſeritur in articulo XIV. inter LXXVI. proſcriptos a S. Pio V., ſed accipient menſuram bonam, & confertam, & coagitatam; ſuperexaltat enim miſericordia judicium: & Deus, qui punit citra condignum, remuneratur ſupra condignum; dives quippe eſt in miſericordia.

CCVI. Denique quia remiſſio peccatorum ex miſericordia eſt, & nemo beatus, niſi cui remiſſae ſunt iniquitates, & cui non imputavit Dominus peccatum; ideo coronare dicitur Deus juſtos ſuos in miſericordia, & miſerationibus.

CCVII. Neque vero hinc ſequitur, juſtum in omni opere bono peccare ſaltem venialiter, aut, quod intolerabilius eſt, poenas aeternas mereri, ut docent novatores a Sacroſancta Synodo Tridentina damnati. Aliud eſt enim, opus eſſe juſtis miſericordia Dei donantis peccata; quia non eſt hic tanta juſtitiae perfectio, ut toto vitae tempore omnia etiam venialia peccata juſti devitent: aliud eſt, opus iis eſſe miſericordia Dei donantis peccata; quia quodlibet opus etiam juſtorum, quantumvis videatur bonum, ſit vitioſa cupiditate infectum. Primum utpote Scripturis, ac Patribus conſentaneum, & Synodalibus, & Pontificiis conſtitutionibus definitum, contra Pelagianos aſſerimus: alterum utpote Scripturae, Traditioni, & Eccleſiae definitionibus contrarium, in novatoribus reprobamus.

CCVIII. Aſſerentes autem, juſtum per bona opera mereri de condigno vitam aeternam, non evacuamus merita Chriſti, ut perperam cenſent novatores. Non ſolum enim paſſione ſua Chriſtus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſſa ſalutis aeternae, in quantum juſtificamur gratis per ſanguinem ipſius, habentes in eo redemptionem, & adoptionem filiorum; quae niſi praecedant, nullum eſt meritum vitae aeternae; ſed praeterea, quia ipſe Chriſtus Jeſus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influit, quae virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſunt.

CCIX. Neque demum non eſt vita aeterna hereditas filiorum, quia redditur meritis. Imo vero quoniam per Chriſtum efficimur filii Dei, ſi autem filii, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti; ideo neceſſe eſt, ut portemus imaginem illius, qui dignatus eſt nos habere fratres, & proinde cum illo patiamur, abnegantes impietatem, & ſaecularia deſideria; ac pie, ſobrie, & juſte vivamus in hoc ſaeculo, ut in altero cum ipſo conglorificemur.

CCX. Quamquam & per ipſa bona opera ampliorem merentur juſti in ipſa vita aeterna gloriae gradum. Nam qui parce quidem ſeminat, parce & metet; qui autem ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Itaque in denario non impari non vivet alius alio prolixius: ſed quoniam in domo Patris manſiones multae ſunt, pro diverſitate meritorum honorabitur alius alio clarius; nam & ſtella, a ſtella differt in claritate. Unuſquiſque tamen pro ſuo modulo ſatiabitur, & diligens ſuper omnia incommutabilem juſtitiam de alterius gloria ſine invidentia, ſed perfecta imo caritate laetabitur.

CCXI. Hanc itaque ſpem habentes juſti, merito exemplo Moyſis reſpiciunt in remunerationem, &, ut olim juſtus David, inclinant cor ſuum ad faciendas juſtifi-

Digitized by Google

ſtificationes Dei propter retributionem. Tantum abeſt, ut, quomodo impie commenti ſunt novatores, peccent juſti, ſi ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſeſe ad currendum in ſtadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam.

CCXII. Non abs re autem S. Synodus illam conditionem appoſuit, = Cum hoc in primis ut glorificetur Deus = . Videlicet finis ultimus cujuslibet actus deliberati, ut ſit undequaque bonus, debet eſſe non propria, etiam aeterna felicitas, ſed Deus.

CCXIII. Nimirum tenemur praecepto caritatis omnes actus noſtros deliberatos in Deum tamquam in finem ultimum referre vel actu, vel virtute.

CCXIV. Requiritur praeterea ad hoc, ut opus hominis juſti habeat rationem meriti, quod ſit bonum in ſe ex officio, itemque ex reliquis circumſtantiis.

CCXV. Intrinſeca porro bonitas actus moralis ſita eſt in conformitate cum lege, rectaque conſcientia.

CCXVI. Quid autem, ſi lex ignoretur, aut conſcientia ſit erronea? Si ignorantia, aut error fuerit invincibilis, excuſat a culpa, etiamſi eſſet juris naturalis: hujus tamen juris ignorantiam invincibilem minime dari cum viris clariſſimis propugnamus. Si autem ſit vincibilis; jure merito, quod ex tali ignorantia vel errore agitur malum, imputatur ad culpam.

CCXVII. Sed & ſi caecus caeco ducatum praeſtet, ambo in foveam cadunt. Neque prodeſt, quod procurator det ſecuritatem, ſi Paterfamilias non eam acceptat.

CCXVIII. Morum itaque regulae depromendae ſunt ex Scriptura, ac Traditione, & ex definitionibus Romanorum Pontificum, aliiſque Eccleſiaſticis canonibus.

CCXIX. Nec facile de abrogatione obtrudenda excuſatio eſt. Quinimo jura antiqua jus naturale continentia nequeunt ulla contraria conſuetudine abrogari: ſicut nec poſſunt abrogari contraria conſuetudine, licet contineant jus poſitivum, ſi vel maneat eadem ratio, propter quam primo lex utilis erat, vel ſi conſuetudo illa ſit recens, & non tolerata ab Eccleſia.

CCXX. Qui autem contemta veritate praeſumit conſuetudinem ſequi, aut circa fratres invidus eſt, & malignus, quibus veritas revelatur; aut circa Deum ingratus, cujus inſpiratione Eccleſia ejus inſtruitur: nam Dominus in Evangelio, = Ego ſum, inquit, veritas = ; non autem dicit, = Ego ſum conſuetudo =.

CCXXI. Tunc ſolum ſervare licet conſuetudinem, quando haec non eſſe contra fidem, aut bonos mores convincitur; imo talis conſuetudo pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate ſervanda eſt: turpis eſt enim pars univerſo ſuo non congruens: deque hujuſmodi conſuetudinibus rationabilibus, & legitime praeſcriptis accipi debet illud effatum, = Conſuetudo habet vim legis = .

CCXXII. Quando autem neque Scripturae, nec Patrum, neque Canonum, neque Pontificiarum Conſtitutionum auctoritate ſolvi poſſunt morales quaeſtiones, ſi aequalia animo ſeſe offerant momenta, non licet pro lubitu alterutram tenere ſententiam; ſed id ſequendum, quod eſt tutius: neque id conſilii, ſed praecepti loco habere debemus, dicente ſcriptura, = Qui amat periculum peribit in illo =; adeout vel eo ſolo titulo peccetur in his rebus ad ſalutem animae pertinentibus, ſi certis praeponantur incerta. Multo magis id praeceptum eſſe intelligendum eſt,

quan-

Digitized by Google

quando ſententia tutior , ideſt favens legi , validioribus fulcitur momentis , eſtque oppoſita probabilior .

CCXXIII. Hinc evertitur Probabiliſmus : de quo quale ſit ferendum judicium oſtendit ejus origo , quae uſque ab Academicis repetenda eſt : oſtendunt qui ex eo prodierunt fructus laxitatum ; quorum pravam indolem Romani in primis Pontifices Alexander VII., Alexander VIII., Innocentius XI. , Innocentius XII. ; tum vero piiſſimi , & doctiſſimi Epiſcopi complures fidelibus patefecerunt .

CCXXIV. Abſit vero , ut probemus eorum errorem , qui negant licere ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam . Id merito damnatum fuit ab Alexandro VIII. Hoc quippe non eſt certis incerta praeponere; cum opinio inter probabiles probabiliſſima ipſa ſit tuta .

CCXXV. Si demum aliqua emergat quaeſtio circa morum diſciplinam , quae ob ſui novitatem , obſcuritatem , difficultatem ſolvi a Theologis non poſſit ; ſervetur praeceptum Domini Deuteronomii XVII: vv. 8. & 9. Videlicet roganda eſt Epiſcoporum , ac praeſertim Romani Pontificis ſententia . Interim vero , ſi neceſſitas agendi urgeat , qui in hujuſmodi eſt conſtitutus anguſtiis , orationibus exquirat voluntatem Dei , & ab eo poſtulet , ut oſtendat ſibi viam bonam , per quam ambulet . Si quis enim indiget ſapientia , eamque poſtulet a Deo , qui dat omnibus affluenter , & non improperat ; dabitur ei : ſi tamen poſtulet in fide nihil haeſitans .

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. A. Epiſcopus Montis Alti ac Viceſgerens.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google